



Sebastianus Zott à Berneck Oeniponti ho-
 nestis parentibus natus est, Anno salutis hu-
 manæ circiter millesimo quingentesimo decimo
 quinto. Is cum præclara indole ornatus esset, pa-
 rentum consilio operam literis dedit, atque post
 fundamenta artium in patria foeliciter facta sese
 hinc inde ad varia studiorum Gymnasia recepit.
 In illis legibus diligenter incubuit, atque in his a-
 deò profecit, ut omnium calculo Iuris Doctor
 decerneretur. Erat Sebastianus rara prudentia
 & naturali facundia insignis. Id cum Ferdinan-
 dus Cæsar cognouisset, eum inter suos consilia-
 rios elegit, atque in Ensisheim Curiaæ præfectis
 assidere iussit. In eo loco cum per annos quindecim magna laude res sibi
 commissas diligenter expediuisset, ad grauiora negocia Oenipontum in pa-
 triam reuocatus est. Ibi Tyrolensi Senatui coniunctus, singulari de-
 xteritate suo officio probè fungitur, et ab omnibus bonis ob-
 multas animi uirtutes agnoscitur. Ano-
 nymos.